Copyright: Admont, Benediktinerstift

ceptis nocturnis uigiliis. Scribebat uero ut de opere manuum suarum sume-
ret cibum. Pulchre enim scribebat libraliter manu. Intra paucos ergo annos
lumen scientiae et ueritatis et diuinae sapientiae discretionis spirituum
gratiam a domino percipere meruit. Quantos autem libros et expositiones de diuinis
scripturis conscripsit manifestum est omnibus. et maxime his qui preclara opus-
cula eius admirantes ad fidem domini saluatoris relicto errore conuersi sunt.
Nam et de instructione sanctae monachorum conuersationis. multa ex diui-
nis scripturis. et nimis apta testimonia contra uicia et impugnatio-
nes inmundorum demonum scripsit. quae ualde admirabilis et salutaris doc-
trina est. Hunc aliquando grauiter impugnabat fornicationis demon. sicut
ipse nobis referebat. et per totam noctem tempore hiemis nudus stetit sub
aere. ita ut congelarentur omnes carnes eius. Alio uero tempore impug-
nabat eum spiritus blasphemiae. et per quadraginta dies et noctes non intrauit sub
tectum. ita ut corpus eius sicut irrationabilis animalis recenos produce-
ret. Huic quodam tempore demones tres in die in scema clericorum superue-
nerunt de uerbo fidei conquirentes. et unus quidem dicebat se arrianum esse. ali
eunomianum. alter autem apollinaristam. et istos per diuinae sapientiae gratiam
dum de testimoniis sanctarum scripturarum concluderet. illi uero subito pertur-
bati et magnum strepitum facientes. fantasma scematis eorum dissoluta
est. et nusquam comparuerunt. Frequenter autem a demonibus flagellatus est.
sed diuina gratia eum adiuuante superabat malignitatem eorum. Sexto decimo
uero anno conuersionis eius in quibus nihil coctum in cibo accipiebat. necessi-
tate corporis propter infirmitatem stomachi. coctum cibum accipere compul-
sus est. Panem quidem iam non contigit. holera uero et tipsanas et legumina
usque duos annos accipiens ita defunctus est. communicans sacrosancta myste-
ria in ecclesia. in die epiphaniae domini. Referebant autem nobis qui circa eum
erant et obseruabant eum. quia ante unum diem mortis dixerit. quia iam
tercius annus est ex quo non molestor a carnali concupiscentia. certe post